Iam diuidatur bifariàm angulus D B C, ducta linea B E. Et erit ſicut D B ad B C, ita D E ad E C, per tertiam Sexti Elementorum: & coniunctim, per decimamoctauam Quinti, ſicut D B C ad B C, ita D C ad E C: & permutatim, per decimamſextam eiuſdem, ſicut D B C ad D C, ita B C ad E C. Atqui ambæ D B C maiores ſunt quàm 571 (eſt enim D B 306, & B C paulo plus quàm 265.) Ambæ igitur D B C ad D C, quapropter & ipſa B C ad E C, maiorem habent rationem quàm 571 ad 153. Quo fit, ut E B ad E C, potentia maiorem rationem habeat, quàm 349450 ad 23409: longitudine uerò, quàm $591\frac{1}{8}$ ad 153. Quum enim B C ad E C, probata ſit maiorem habere rationem, quàm 571 ad 153: ſi fecerimus ipſam B C 571, ipſam uerò E C 153: erit quod ex B C, 326041: quod autem ex E C, 23409. Ambabus uerò, quum ſit æquale id quod ex E B, idipſum erit 349450: quorum radix, $591\frac{1}{8}$: ſuperantq́; $21\frac{15}{64}$.

Secundo loco diuidatur bifariàm angulus E B C, ducta B F. Eritq́; eâdem, qua priùs, argumentatione, ut E B ad B C, ita E F ad F C: & coniunctim, ut E B C ad B C, ita E C ad F C: & permutatim, ut E B C ad E C, ita B C ad F C. Quumq́; E B & B C plus ſint quàm $1162\frac{1}{8}$ (eſt enim E B plus quàm $591\frac{1}{8}$: & B C plus quàm 571) ſtante E C pro 153, habebunt E B C ad E C, quapropter & B C ad F C, maiorem rationem, quàm $1162\frac{1}{8}$ ad 153. Scilicet quum ſit id quod ex F B, æquale duob. quę ex B C & F C Quadratis (ea ſunt $1350534\frac{33}{64}$ & 23409) erit quod ex ipſa F B, $1373943\frac{33}{64}$: Quorum radix, $1172\frac{1}{8}$, paulo minor iuſto: reddit enim $1373877\frac{1}{64}$ duntaxat.

Tertiò diuidatur bifariàm angulus F B C, ducta B G. Eſt igitur, de more, ut F B ad B C, ita F G ad G C: & coniunctim, ut F B C ad B C, ita F C ad G C: & permutatim, ut F B C ad F C, ita B C ad G C. Et quoniam ipſa F B æſtimata eſt $1172\frac{1}{8}$, cum ſuperatione aliqua: & B C, $1162\frac{1}{8}$, cum ſuperatione aliqua: ambæ F B C maiores ſunt quàm $2334\frac{1}{4}$. Habetur autem B C, 153: ambæ igit̃ F B C ad F C, quapropter & B C ad G C, maiorem habent rationẽ, quàm $2339\frac{1}{4}$ ad 153. Quoniam enim habetur ipſa B C, $2334\frac{1}{4}$, ipſa uerò F C 153: erit quod ex B C, $5448723\frac{1}{16}$: quod autem ex F C, 23409. Quibus quum æquale ſit quod ex F B: erit ipſa F B, $5472132\frac{1}{16}$: quorum radix, $2339\frac{1}{4}$, propinqua: reddit enim $41\frac{1}{2}$, minus.

Quartò diuidatur bifariàm angulus G B C, ducta B H. Eſt itaq́; conſueta ratiocinatione, ut G B ad B C, ita G H ad H C: & cõiunctim, ut G B C ad B C, ita G C ad H C: Et permutatim, ut G B C ad G C, ita B C ad H C. Atqui G B æſtimata eſt $2339\frac{1}{4}$, cum ſuperatione aliqua. Ambæ igitur G B & B C plus ſunt quàm $4673\frac{1}{2}$. Quapropter exiſtente G C, 153, habebunt G B C ad G C, ob idq́; B C ad H C, maiorem rationem quàm $4673\frac{1}{2}$, ad 153.